



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

V. Qvomodo Consilio Chorisut, literas Apostolico miserit, prolicentia
petenda euangelizandi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

riquis renouarum amicitias, & tam sancti operis gratiam, illius iniungere sanctitati. Mittens ergo legatos & munera, scripsit ei literas, secundum verba hæc.

Epistola Poliz-
lai

Domino suo & patri amantissimo OTTONI, venerabili Episcopo, POLIZLAUS dux Polonorum filialis obsequij, humilem deuotionem.

Quia in diebus iuuentutis tuæ, apud patrem meum decentissima te honestate cōuersatum memini, & nunc quoque dominus tecum est, firmans te & benedicens tibi in omnibus vijs tuis, si tuæ non displicet dignitati, veteres tecum renouare amicitias, tuoq; consilio simul & auxilio vti ad DEI gloriam promouendam, ipsius gratia coadiuuante. Nosti enim, vt arbitror, quomodo POMMERANORVM cruda barbaries, non mea quidem sed DEI virtute humiliata, societati Ecclesiæ, per Baptismi lauacrum se admitti petunt. Sed ecce per triennium laboro, quod nullum Episcoporum vel sacerdotum idoneorum mihi uè affinium ad hoc opus inducere queo. Vnde quia tua sanctitas ad omne opus bonum prompta & indefessa prædicatur, rogamus, pater amantissime, non te pigeat, nostro comitante seruitio, pro Dei gloria, tuæque beatitudinis incremento, id laboris assumere. Sed & ego tuæ paternitatis deuotus famulus, impensas omnes & socios itinerum, & linguæ interpretes, & coadiutores presbyteros, & quæcunq; necessaria fuerint, præbebo, tu tantum sanctissime pater venire dignare.

QVOMODO CONSILIO CHO-

risus, literas Apostolico miserit, pro licentia petenda euangelizandi.

V.



IS auditis Episcopus, quasi de cælo vocem Dei loquentis accepisset, toto pectore abundantia lætitiæ repletus, gratias egit omnipotenti DEO, quod

quod ad tale negotium, suo vti dignaretur ministerio. Habito igitur Chori & Cleri sui consilio; missis ad Apostolicam sedem legatis, pro petenda licentia, benedictione, atque obedientia, venerandæ memoriæ domini HONORII Pape huic grauiissimæ sarcinæ humerum deuotè applicuit. Sed quia terram POMMERANORVM, fama ferente, opulentam audiuerat, & egenos siue mendicos penitus non habere, sed vehemèter aspernari, & iam dudum quosdam seruos Dei prædicatores egenos ac censu tenues, propter inopiam contempnisse, quasi nõ pro salute hominum, sed pro sua necessitate releuanda, officio insisterent prædicandi; studiosè procurauit, vt non solum illis non indigēs, verum etiam opulentus appareret, nec opes eorum sibi, sed ipsos potius velle Deo lucrari. Assumptis ergò Clericis idoneis, & eisdem ad iter abundè procuratis, Missales, aliosque libros & calices cum indumentis sacerdotalibus, & alia quæque altaris vtensilia, quæ in gente pagana subito non posse inuenire sciebat, prouida liberalitate secum fecit portari, ne sine instrumento agricola fidus in agrum domini sui exire videretur. Vestes quoque & pannos preciosos aliaque donaria, nobilibus ac diuitibus apta, Euangelista simplex & prudens in viam portauit Euangelium ne fortè indigentia causa, prudens videretur euangelizare: sed nouellæ plantationi sua potius conferre, quam illius appetere.

QVOMODO PROPECTVS

sit ad Pommeranos.



PARATIS ergo omnibus quæ profecti- VI.
 onem erant necessaria, proxima die post fe-
 um sancti GEORGI martyris, salutato clero
 Aaa 3 & po-